Si intervallum binario multiplicetur ad quod id quod ex ea multiplicatione creabitur multiplex fuerit ipsum quoque non erit multiplex. Sit enim intervallum B C. fiatque ut C ad B. ita B ad D. et non sit D. eius quod est C multiplex. dico quoniam nec B eius quod est C erit multiplex. Si enim est et D. eius quod est C multiplex est. at non est. non igitur B. eius quod est C multiplex.

VII Duplex intervallum ex duobus maximis superparticularibus coniungitur sesqualtero et sesquitertio. Sit enim A. quidem eius quod est B sesqualter. B vero eius quod est C. sesquitertius. dico quoniam A. eius quod est C. duplex est. Quoniam igitur sesqualter est A eius quod est B. Igitur A. habet integrum B. eiusque dimidium. Duo igitur A. equis tribus B. Rursus quoniam B. eius quod est C. sesquitertius est B igitur habet C. et eius tertiam partem. tres igitur B equi sunt ad quattuor C. tres autem B equi erant duobus A. Duo igitur A. equis ad quattuor C. Unus igitur A. aequus est duobus VI duplex erit igitur A. eius qui est C et in numeris. Sit enim sesqualter XII ad VIII. sesquitertius vero VIII ad VI. ergo XII ad VI duplices sunt.



duę diapente. faciunt quos diatessaron

Lizenz: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 98 – Boetii geometria et musica (http://www.e-codices.ch/de/sbe/0298/98)